

1485 tribus, eminentioris fortunæ virum, qui regium genus propinquitate sanguinis attingeret, jam dudum in urbe esse. Continuo igitur benigne ab eis appellatus, in publicum est hospitium adductus; dati ad hæc ex patricio ordine plerique, qui urbem illi per ocium monstrarent, quique ipsius latera stipantes, benigne ac comiter hospitem habent: data & abeunti ex publico munera, missisque non pauci, qui eum procul urbe officii causa comitarentur. Hæc Venetus cum se privato homini id præstare, non Regi arbitraretur, barbaro publica illa hospitalitas eo gratior fuit, quo magis omni ambitionis suspicione caruit. Ubi itaque in Iberiam venit, rem omnem posteris tradidisse dicitur, Venetamque in se liberalitatem perpetuo monumento suis constare voluisse: atque ob id ipsum mutuum hospitium Venetis cum regia illa familia in hunc diem durare. Ea causa fuit, quod Rex Venetos maritima illa pugna male habitos, hospitio & commeatu juvit, ut diximus. Accessit & illud, quod toto regno vetuit quenquam ex Veneta præda a piratis quicquam coemere. Nuncius acceptæ cladis civitatem haud parvo dolore affecit. Constatbat ad ducenta & amplius aureorum nummum millia in preciosissima illa merce amissa; sed clades illa privata: cæforum hominum dolor omnino major fuit. Per eos ipsos dies, quibus id nunciatum est, pestilentia aliquanto atrocius quam antea incubuerat: quo accidit, ut civitate domestica clade implicita, Patres præsentem injuriam nullo majore motu vindicandam censuerint, sed ultionem in aliud commodius tempus differendam.

In Forojuliensi agro sub id tempus nonnihil tumultuum est. Eruperant aliquot equitum alæ repente in ipsos Italiæ fines, quæ a Pannoniæ Rege ad Portum Naonem (ut postea compertum est) subito accessu opprimendum misse fuerant: est id oppidum ad Liquentiæ fluminis ripam. Barbari in Tergestino agro prius confedere. Patres vero tametsi non ignorabant, Regem ipsum cum Fœderico adhuc in armis esse, atque eum equitatum iccirco in Italiam missum, ut Portum Naonem ac Tergeste, quæ duo oppi-

*In Carnis
nonnihil su-
bito barba-
rorum ac-
cessu tumul-
tuatur.*